

nes nonnullas, utpote aliis longè deteriores, longè peiores, uber-
 rimè demonstrari possit. Fundamenti locò unicam pono asser-
 tionem, & eam ex *Matth. 5. v. 22.* desumptam, ubi dicitur, quòd,
qui fratri suo temerè irascitur, obnoxius sit futurus iudicio; qui verò
dixerit, Racha, consilii fuerit reus, qui dixerit, fatue, Gebennæ. Hinc
 concludo: Si id, ex quo actionum malitia æstimatur, inæquale est,
 sequitur, quòd ipsæ actiones sint inæquales. Præterea, quia supe-
 riùs pronuntiavimus, quòd bonitas Actûs æstimanda veniat ex
 aggregatione perfectionis omnigenæ, quæ ipsi secundùm R. ra-
 tionem convenit, consequens est, quòd eò deterior habeatur a-
 ctus, quò minus de perfectione illâ participat. Quod attinet ar-
 gutias Stoicorum, eæ facilè suis remittuntur auctoribus, dum-
 modò distingvatur *inter actus bonos & malos, consideratos præci-*
sè, secundùm communissimam bonitatis vel malitiæ rationem, quò in
 sensu concedenda ipsis æqualitas est, ut in genere dicunt conve-
 nientiam vel dissonantiam cum rectitudinis Regulâ; & *secun-*
dum rationes proprias, juxta quas sunt inæquales, quatenus habent
 disparia objecta, inæqualia media, &c. quæ magis aut minus à
 rectitudine abeunt.

XXIII. Inæqualitas autè ista æstimatur (1) *ex conditione causse,*
seu voluntatis, ubi, quicquid minus invitè magisq; sponte perpe-
 tratum est, id vel melius, vel pejus censetur. At verò, quod ma-
 jori cum scientiâ & minori ignorantia, minori itidem affectu
 perpetratur, id magis etiam voluntarium judicatur. Accedit & i-
 ipsa voluntatis intrinseca habitudo, quæ, ut magis *intensa, extensa*
atq; protensa est, eò melius aut pejus factum est, quod ab illâ pro-
 ficiscitur. Sic e.g. graviùs puniendum homicidium est, quod
 animò deliberatò & ex proposito, per insidias, ob nullam offen-
 sionem perpetratur, quàm quod ex iracundiâ & vindictâ, aut spe
 magnæ prædæ potiundæ committitur (2) *ex habitudine objecti;*
 quod quò magis vel minus cum rectâ ratione convenit, eò majo-
 rem vel minorem laudem ac vituperium reportat. (3) *ex respectu*
personæ illius qui fecit, & ejus, erga quem committitur. Sic probi
 commatis homo faciliorem in delictis meretur veniam, quàm
 qui conclamata malitiæ est; sic, quibus infinitum offendimus
 DEUM, peccata, infinitam quoq; habere malitiam meritò censen-
 tur: Sic graviùs peccamus in Principem, Magistratum ac Domi-
 num, quàm in privatam plebejæq; sortis hominem. (4) *ex circum-*
stan-